

Die X. Decembris.  
**I N F E S T O**

*Translationis Alme Domus B. M. Virginis.*

*Introitus Gen. 28.*

**T**erribilis est locus iste: hic Domus Dei est, & porta Cæli: & vocabitur aula Dei.

*Psalm: 82.*

Quàm dilecta tabernacula tua, Dómine virtutum! concupiscit, & deficit ánima mea in átria Domini. *Ÿ. Glória Patri &c.*

*Oratio.*

**D**EUS, qui Beátæ Mariæ Virginis Domum per Incarnati Verbi mystèrium misericórditer consecrasti, eámque in sinu Ecclesiæ tuæ mirabiliter collocasti: concède; ut segregati à tabernaculis peccatorum, digni efficiámur habitatores Domus Sanctæ tuæ. Per eúndem Dòminum.

*Lectio libri Sapientiæ. Eccl: 24.*

**I**n ómnibus réquiem quæsivi, & in hæreditate Dòmini morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi Créator ómnium: & qui creavit me, requièvit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Jacob inhabita, & in Jsraél hæreditare, & in electis meis mitte radices. Et

sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerúsalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea. Quasi Cedrus exaltata sum in Líbano, & quasi Cypressus in monte Sion: quasi Palma exaltata sum, in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho. Quasi olíva speciosa in campis, & quasi plátanus exaltata sum, juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum, & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

*Graduale. Psal. 26.* U nam petii à Dòmino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Dòmini, ómnibus dièbus vitæ meæ.

*Ÿ.* Ut vídeam voluptatem Dòmini, & vísitem templum eius. Allelúja, allelúja *Psal. 33.* Beati, qui habitant in domo tua, Dómine, in sæcula sæculórum laudábunt te. Allelúja.

**†** *Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 1.*

**I**n illo tempore: Missus est Angelus Gábriel à Deo in civitá-

tem Galilææ, cui nomen Názareth ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Vírginis María. Et ingrêssus Angelus ad eam, dixi: Ave grátia plena: Dóminus tecum Benedícta tu in muliéribus. Quæ cùm audísset, turbáta est in sermóne ejus, & cogitábat, qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas María; invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, & páries fíi-um, & vocábis nomen ejus JESUM. Hic erit magnus, & Fílius Altíssimi vocábitur, & dabit illi Dóminus DEUS sedem David Patris ejus: & regnábit in domo Jacob in atérnum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quoniam virum non cognó-sco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spíritus Sanctus supervé-niet in te, & virtus Altíssimi ob-umbrábit tibi. Ideóque & quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, & ipsa concépit fí-lium in senectúte sua: & hic men-sis sextus est illi, quæ vocátur stér-ilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancilla Dómini, fiat mihi secúndum ver-bum tuum. Credo.

*Offertorium: Psalm. 5.*

**I**Ntroibo in domum tuam, ado-rábo ad templum Sanctum tu-um, & confitébor nómini tuo.

*Secreta.*

Accipe, quæsumus Domine. mu-nera in hac sacra Domo dignanter oblata, & Beátæ Mariæ Vírginis suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxiliium pervenire con-cède. Per Dominum nostrum.

*Præfatio:* Et te in festivitáte Beá-tæ Mariæ semper Vírginis &c.

*Communic: Sap. 9.*

**B**Eátus, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie & observat ad postes óstii mei. Qui me invenerit, invéniet vitam, & háuriet salutem á Domino.

*Postcommunio.*

**Q**uæsums, Dómine Deus no-ster, ut sacrosáncta mystéria, quæ pro reparatíonis nostræ mu-nimine contulísti! intercedente Beáta María semper Vírgine, & præsens nobis remédium esse faci-as, & futúrum. Per Dóminum no-strum JESUM Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitáte. Spíritus Sancti Deus, per omnia Sæcula sæculorum.

A M E N.



X. III. 47





980519 Bibliotheca 38005.  
P.P. Camaldulensium in Bielany


Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej




07994









MISSALE  
MONASTICUM